

(45. Censura potest irrogari nolentibus accedere ad Synodum, si accedere teneantur; aut ea absoluta, pervenientibus, vel nondum completa, recedentibus. Idem *De Synodo Diocesana*, lib. 3, cap. 12, num. 1. (46. Non sunt ferendæ Censuræ nisi ad coercenda graviora crimina. Nec quidquam sub Censura prohibendum, aut præcipiendum, nisi materiæ gravitas, ratione sui, aut circumstantiarum eas exposcat. Idem *ibid.*, n. 2. 3 et 4. (47. Et gravius debet esse delictum, ob quod infligatur Censura latæ sententiæ. Ac ad hanc incurritur tam in foro externo, requiritur sententia declaratoria commissi, cui est Censura jure ipso alligata. (48. In foro autem interno nulla est necessaria Judicis declaratio, sed sufficit, quod quis committat crimen, cui sciat adnexam esse Censuram, cum sic suam contumaciam, in Ecclesiæ contemptum satis aperte manifestet. Idem *ib.* n. 5.

(49. Parcissimi esse debent Episcopi in Censuris latæ sententiæ ferendis; cum enim extrema ea sit pœna, pro extremo remedio gravibus criminibus puniendis, coercendisque reservanda est ex constanti Sac. Congr. sensu; *ibid.*, lib. 7, cap. 45.

(50. Verumtamen prudenter ab Episcopis interdum sub pœna excommunicationis latæ sententiæ velantur quædam ex natura sua leviora, sed ob grave scandalum, quod inde consequeretur, si res velita neglecta fuisset, res ipsa postulat, ut ita provideatur. Ita Pontifex defendit Constitutionem suam, qua vetuit, ne dispensati in Quadragesima a comestione carniū pisces degustent. *Ibid.* tot. cap. 46. At generalim loquendo, contra immoderatum Censurarum usum docte, et sapienter more suo insurgit laudatus Pontifex in *cit.* *Tract.* lib. 10, cap. 2, adducta primum auctoritate Navarri, qui *Manual. capit.* 27, num. 49. declamat contra exorbitantem Censurarum usum, additque, *utilem, imo et necessariam fore aliquam earum limitationem, saltem quoad forum conscientiæ*: allatis deinde multis exemplis indicat, et suadet Episcopis cautelam, et circumspectionem, quam adhibere debent in decernendis prædictis Censuris.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(51. Probari nequit Veteribus fuisse tres tantum species Censurarum, idque quia non tam strictè et præcise de Censuris locuti ii sunt, sicut recentiores. (52. Juxta igitur modernam disciplinam enumerantur tres species Censurarum, excommunicatio scilicet, suspensio, et interdictum; (53. degradatio vero, depositio, similesque pœnæ Canonice non dicuntur Censuræ. Morin. *de Sacrament. Penitent.* lib. 6, c. 25, n. 12. et seq. Vanesp. *jur. Eccles. univers. part.* 3. tit. 11, cap. 2, § 1, et plur. seq.

(54. Censuræ, vel a jure, vel homine feruntur. (55. Censuræ a jure sunt generales, durant post mortem etiam Legislatoris, potestque quilibet Confessarius ab iis absolvere, nisi sint reservatæ. (56. At Censuræ ab homine non sunt semper generales, nec

durant post mortem Superioris, nec ab iis regulariter absolvere potest nisi idem Superior, vel Successor. Rousseaud de la Combe in *sua jurispr. Canon. verb. Censuræ sect.* 1, num. 1. (57. Posse etiam absolvere ab ipsis Vicarium Capitularem Sede vacante, tenet idem Auctor *loco citato sect.* 7, n. 1.

(58. Censuræ tam a jure, quam ab homine solent esse vel latæ, vel ferendæ sententiæ. (59. Ast quando dici debeant Censuræ latæ sententiæ, et quando ferendæ sententiæ, tradunt Cabassut. *lib.* 3, cap. 10, n. 5 et seq. et ibi Gilbert. Zoel. in *decr. lib.* 5, tit. 39, n. 25.

(60. Num Episcopus existens extra suam Diocesim ferre Censuras possit in subditos suos, vide apud Gilbert. in Cabassut. *lib.* 5, c. 10, n. 9.

(61. Mulieri an competere possit potestas ferendi Censuras, adi Vanesp. *jur. Eccles. univers. p.* 3, tit. 11, cap. 2, n. 11, et plur. seq. ubi expendit text. in *cap. de major. et obed.*

(62. Quod attinet ad formam ferendi Censuras, notat Hurtad. *de Censur. in commun. difficult.* 18, per tot. quod quando agitur de Censura ipso facto incurrenda annexa alicui præcepto, sufficit quod ipsum præceptum fuerit notificatum, ut ipsa per ejus violationem sine ulla monitione incurrat, quum ipsum præceptum stet loco ipsius monitionis, et quidem continuæ.

(63. Cæterum de ipsa forma, et conditionibus in prolatione Censurarum observandis, tum quæ causæ requirantur, qui item sint earum effectus, et quomodo solvi queant, dicemus et quidem opportunius, dum de singulis Censuris.

ADDITIONES CASINENSES.

(64. Cum Christi Ecclesia distincta et perfecta respublica sit, quæ suas habet leges, suosque cives, profecto necesse est etiam quod illi competat potestas animadvertendi in crimina suorum subditorum. Nam cui summa potestas et jurisdictio commissa est, cui jus est imperandi, legesque ferendi, ei quoque jus competit puniendi fontes, qui legibus non obtemperant, statumque reipublicæ pervertunt. Puffendorfius *de Jure nat. et gent. lib.* 8, c. 2, § 4, n. 3. et Heinzeius *Elem. jur. nat. et gent. l.* 2, c. 8, § 159. (65. Sed Ecclesiæ duplex est forum, internum et externum, et duplex potestas, spiritualis nempe et temporalis; quapropter ei convenit etiam potestas animadvertendi in transgressores legum suarum, altera, quam communem nabet cum omni vera et perfecta republica, quaque pœnas infligit, quæ corpus cruciant, altera ipsi propria, ei a Christo data, quæ pœnas irrogat, quæ animum affligunt. Illæ pœnæ dicuntur, istæ proprio nomine Censuræ appellantur. Corporales pœnæ, quas Ecclesia semper adhibuit, fuere præcipue ictus fustium, detrusio in Monasterium, aut in carcerem, exsilium, mulctæ pecuniariæ, etc. Spiritualium vero triplex est genus: excommunicatio, interdictum, suspensio; Innoc. III, *cap.* 20, *de verb. signi-*

fic. et omnibus his pœnis curat Ecclesia, ut reus emendetur, et cæteri a crimine deterreantur; propterea excludit pœnam sanguinis, et ita temperat pœnas, quas adhibet, ut levioribus criminibus leviores quoque pœnas constituat. Vide Devoti *Lib. IV. tit.* 1, § 2 et seq. et tit. 17, § 1 et seq.

(66. Sex condiciones requirit Ecclesia, ut quis possit valide Censuras ferre. 1. Ut sit vir. Nam hanc potestatem Christus dedit Apostolis eorumque successoribus, cum illis commisit clavium potestatem, quæ nullo modo mulieribus tradi potest. Ita S. Thomas, *Conc. Sot. Salm. c.* 4, n. 48. Quapropter femina, « licet sint Priorissæ, vel Abbatissæ, Censuras ferre non possunt; quando vero in jure dicuntur posse subjectos sibi Clericos suspendere ab officio, vel beneficio, suspensio non accipitur proprie pro Censura, cujus violator irregularitatem incurrit, sed late, et improprie pro præcepto, quo Abbatissa Clerico sibi quodammodo subjecto prohibet celebrationem, donec satisfecerit, subtrahens ei redditus interea. » D. Ligorius *li.* 7, *dub.* 3, num. 11. 2. Ut sit baptizatus. Suar. *Cardin. et Salmat. cap.* 1, n. 51. 3. Ut sit saltem prima Tonsura insignitus, nam laici ex *c. Ecclesiæ, de Const.* spiritualia tractare non possunt. *Salmat. c.* 1, n. 52 et 53. Sed ex communi Doctorum sententia potest Pontifex illis in aliquo casu committere potestatem ferendi Censuras. Bonac. *p.* 2, n. 3. et 6. *Salmat. loc. citato.* 4. Ut sit compositionis, et intentionem habeat ligandi illum, contra quem fert Censuram ex *c. Cum voluntate, De sentent. excomm.* Unde Prælati potest aliquem non includere in generali sententia, et si ille ligare non intendit, non incurritur Censura. Requiritur 5. ut non habeat jurisdictionis usum impeditum, quod accidit, quando judex est excommunicatus, vel suspensus, vel dum interponitur legitima appellatio. Suarez *disp.* 2, *sect.* 4, n. 1. et 2. Bonac. *l. c.* Ideoque Vicarius Episcopi excommunicati, vel suspensi non potest Censuras ferre ex *c. de Offic. Vic. in 6.* sed valide, quamvis illicite ferret occultus excommunicatus, vel hæreticus; ita Suarez. *D.* 14, *sect.* 1, n. 8. Sotus in 4, *Dist.* 22, *qu.* 2, *art.* 1. *Salmat. c.* 1, num. 58. nam Ecclesia propter publicum bonum illi non adimit jurisdictionem; Sayr. in *cap. Ad evitanda*, imo idipsum sentiunt de publico excommunicato, si nominatim non sit denunciatus. *Salmat. Tract. X. c.* 1, *punct.* 5, n. 58. Avila *p.* 2, *disp.* 6, *dub.* 3. Bonac. *disp.* 2, *de censur. qu.* 2, *punct.* 5, num. 3. etc. Requiritur 6. quod libere agat, scilicet libertate physica, nam Censura, quam judex profert metu gravi coactus, est valida, uti verius affirmant Suarez *D.* 2, *sect.* 5, n. 6. Bon. *q.* 1, *p.* 12, n. 1. et *Salmat. loco citato n.* 60. Vide D. Alph. de Ligor. *Theolog. moral. lib.* VII, *dub.* 3, num. 12. (67. Quamvis, ut dicit auctor, usus rationis necessarius sit, ut quis Censura ligari possit, admodum tamen impuberes incurrere in Censuras, si id expresse cautum sit in lege, uti de pueris ingredientibus Monasteria Monalium

in *Trid. sess.* 25, c. 5. vel qui Clericum percutiunt in *c. fin. de sent. excom.* (68. Non potest per modum sententiæ excommunicari aliquis incertus communitatis propter delictum jam patratum, ligari tamen potest Censuris latis per modum præcepti, vel statuti; sed Pontifex potest totam communitatem excommunicare, si omnia ejus membra peccarunt, Prælati vero id facere nequit ex *c. Romana de sentent. excomm. in 6.* tamen irrita non esset Censura, uti sentiunt varii auctores. Fagnan. in *c. Responso de sent. excomm. ex n.* 93. (69. Prælati Regulares possunt suos subditos excommunicare, ubicunque existunt; jurisdictio enim Prælatorum Regularium ratione voti obedientiæ immediate respicit personas. (70. Episcopus vero non potest in subditos suos Censuras ferre, dum extra diocesim moratur, nam *ejus dominium immediate est in territorium, et hujus ratione in personas, quamdiu sub tali territorio degunt.* *Salmat. Tract. X. p.* 9, § 103. et ex *Clement. Quamvis de Foro compet.* Excipitur 1. si subditi contumacia sit ita manifesta, quod non indigeat cognitione causæ; *Can. Manifesta 2. q.* 1, 2. si causa sit jam cognita in proprio territorio; 3. si Censura feratur per modum statuti, vel præcepti ad evitanda futura crimina; 4. si Episcopus sit injuste expulsus a sua diocesi, nam tum in vicinioribus locis, petita, licet non obtenta Ordinarii licentia, potest exercere suam jurisdictionem *ex cit. Clement. Quamvis*; 5. demum si Ordinarius loci, in quo moratur Episcopus, consentiat *ex cap. Nullus 9. q.* 2. sed tunc requiritur etiam consensus partium; nam nemo invitus trahi potest extra suum territorium. Bonac. *p.* 11, n. 3. *Salmat. num.* 105. Vide D. Ligor. *Theolog. Moral. lib.* VII, *dub.* 3, § 21. (71. Si vero Episcopus sit in sua diocesi, potest excommunicare subditum alibi commorantem, et tunc sufficit pro citatione, ut reus in propria domo, vel loco publico proprii territorii citetur. *Salmat; loco cit. n.* 108. sed hoc valet pro delictis patratibus in proprio territorio, non vero extra illud; Suarez *D.* 5, *sect.* 4, n. 8. Bonac. *p.* 11, n. 7. nisi forte ab Episcopo lata fuerit Censura in aliquem per præceptum particulare, puta si furetur, nam tunc peccando extra territorium probabiliter Censuram incurrit; Suarez *D.* 5, *sect.* 5, *in fine*; Croix *l.* 9, n. 43. Layman. *c.* 4, n. 8. quia statutum respicit territorium, præceptum vero respicit personam, et propterea ligat etiam extra territorium.

(72. Ut judex licite Censuras ferre possit, observare debet solemnitates assignatas ab Innocentio IV. in *c. Cum medicinalis 1. de sentent. excom. in 6.* « Quisquis igitur excommunicat, inquit, excommunicationem in scriptis proferat, et causam excommunicationis expresse conscribat. Exemplum vero ejusmodi teneatur tradere excommunicatio infra mensem, si fuerit requisitus, super qua requisitione fieri volumus publicum instrumentum, vel litteras testimoniales confici, sigillo authentico consignatas; » et deinde: « Et hæc eadem in suspensionis et interdicti sententiis volumus observari; » multas

præterea inde statuit pœnas, vel ipso facto incurendas, vel inferendas a Superioribus. Sed hoc currit, quando Censura fertur per modum sententiæ, cognita causa cum citatione, ut ex dicto capite, secus vero si fertur a jure, vel ab homine per modum legis, vel præcepti; Salm. c. 1. num. 71. pariterque si iudex solemnitates omitteret aliqua urgente causa, quæ dilationem non patitur, aut demum, si ita ageret ex ignorantia, licet culpabili, dum Pontifex dicit: *Si quis autem iudicium huiusmodi Constitutionis temerarius extiterit violator, per mensem unum ab ingressu Ecclesiæ et Divinis Officiis noverit se suspensum.* Vide D. Ligorium loco citato n. 60. et 61. Censuræ sententia non debet ferri die feriato, c. final. De Feriis, nisi rei contumacia sit adeo evidens, quod non indigeat cognitione causæ; c. Evidentia de accusat. Si vero fertur diebus feriatis, erit quidem illicita, sed non irrita. Salm. c. 1. n. 100. De cæteris vide S. Alphons. de Ligor. Theol. Moral. lib. 7. dub. 4.

(73. Censura semel inflicta non potest tolli, nisi per absolutionem, quæ antiquitus dicebatur *pax, relaxatio, venia, vel communitio*; et quia Ecclesia duplicem habet forum externum et internum, duplex est etiam absolutio, altera quæ in foro exteriori conceditur, altera quæ forum internum tantum respicit. (74. Quamvis dicat auctor, quod Confessarius non possit in foro externo absolvere a Censuris a jure latis, tamen D. Alphonsus de Ligorio contrariam tenet sententiam; nam Innocentius III. in c. Nuper de sent. excom. ait: « In secundo casu (scilicet quod excommunicatio non sit reservata) a suo Episcopo, vel a proprio Sacerdote poterit absolutionis beneficium obtineri. Quamvis enim et tunc non juris, sed iudicis sententia sit ligatus; quia tamen conditor canonis ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi. Decreta enim Pontificum, concludit, præcipue forum externum spectare solent; et cum favores Principis ampliari debeant, non est, cur tantum ad forum internum restringantur. » Vide loco citato Dub. 20. §. 70.

SUMMARIUM.

ARTICULUS I. — Quoad ea quæ concernunt esse et conditiones Censuræ.

1. Hoc nomen *Census* varie accipitur. — 2. *Census* proprie acceptus, prout ad nostrum propositum spectat, quid sit. — 3. Explicatur definitio *Census* per singulas particulas; ad n. 4. — 5. Quis dicatur *Censuarium*, et quis *Censuista*. — 6. *Census* dividitur in reservativum et consignativum, et quid sit uterque; ad n. 7. — 8. *Census* consignativus dividitur in realem, et personalem, et mixtum; et quid sit quilibet ex istis. — 9. *Census* consignativus dividitur ulterius in perpetuum et temporalem; et quid sit uterque. — 10. *Census* perpetuus subdividitur in redimibilem et irredimibilem; et quid sit uterque. — 11. *Temporalis* etiam subdividitur in temporalem, qui extenditur ad certum et determinatum tempus, et in temporalem, qui extenditur ad tempus incertum; et quid sit uterque. — 12. Ut *Census* sit licitus, ac iustus jure naturæ, saltem quatuor conditiones

Ita etiam D. Thomas in addit. quest. 21. art. 1. Salm. tract. 10. p. 5. n. 44. Vasq. de excom. dub. 19. et admittunt etiam dari posse extra Confessionem.

(75. Absolutio Censuræ ad cautelam est illa absolutio quæ datur ad majorem securitatem, ut omnis dubitationis causa removeatur. Eam adhibent generatim Pontifices in suis rescriptis Apostolicis, ad omne impedimentum removendum, ut concessa gratia effectum suum habeat; pariterque Sacerdotes ante absolutionem Sacramentalem illam præmittunt, ne propter Censuram a jure latam, et ignotam, irrita sit absolutio Sacramentalis. Demum conceditur semper quando locus est dubitandi, num quis in Censuram incidit, aut cum est incerta vis illatæ Censuræ; cap. 40. de sent. excom.

(76. Absolutio ad reincidentiam est illa quæ datur ad certum tempus, aut ad certum actum, ita ut tempore elapso, aut actu peracto ita absolutus iterum Censura implicetur. Devoti lib. IV. tit. 21. §. 6. Datur tamen cum certa conditione, nempe vel ut lædens læso satisfaciat, vel ut reus in constituto tempore certa pietatis opera compleat, etc. quibus si non satisfecerit sine justa causa, in Censuram iterum incidat.

(77. Neque solum vivos, sed etiam mortuos Ecclesia a Censuris absolvere consuevit. Cum enim aliquis moriens dat certa pœnitentiæ signa, vel cum apparet latus in eum Censuras injustas fuisse, si ante mortem impetrare pacem non potuit, post eam Ecclesia publice Censuras removet, ut comperit sit omnibus, quod ille in Catholica communione decessit. Olim tantum defuncti nomen in sacris diptychis restituebatur, vel accipiebantur oblationes ejus nomine factæ. Ita Theodoretus narrat, Alexandrum Antiochenum restituisse in diptychis S. Joan. Chrysostomi nomen ab illis jam deletum. Histor. l. 5. c. 35. p. 235. ed. Cantabrig. et multa alia adfert exempla Mabillon. Annal. Benedict. lib. 58. n. 33. et lib. 61. n. 42. et 43. tom. 4. p. 409. 543. 544. ed. Lucæ, 1739. Sed nunc certa præcum forma absolvuntur. Devoti lib. 4. tit. 21. §. 7.

CENSUS.

requiruntur, et assignatur prima. — 13. Assignatur secunda. — 14. Assignatur tertia. — 15. Assignatur quarta. — 16. Ut autem *Census* sit licitus, et iustus jure canonico plures aliæ conditiones requiruntur. — 17. Afferuntur ad id constitutio Santi Pii V in qua per distinctos §§ exprimuntur conditiones ad *Census* requisitæ. — 18. Afferuntur declarationes dubitationum desuper exortarum. — 19. Quamvis hanc sancti Pii V constitutionem ob solam præsumptionem usuræ esse latam, et consequenter in conscientia non obligare, ubi *Contractus Censualitius* ab usura alias immunis est, teneant Navarrus et alii, nihilominus omnino tenendum est dictam constitutionem Pianam, ubi usu recepta est, et per legitimam contrariam consuetudinem non est abrogata, absolute obligare. — 20. Ubi autem dicta *Piana* constitutio, vel non est recepta, vel si primitus recepta, deinde fuit per legitimam contrariam consuetudinem abrogata, utique in nullo foro obligat. — 21. Hinc, quia dicta sancti Pii V constitutio non est usu recepta in Gallia, Belgio, Germania, Hispania, et Sicilia, ibi non

obligat. — 22. *Census* consignativus realis, sive perpetuus et irredimibilis, sive temporalis et redimibilis ex utraque parte, tam censuarii quam censuiste seu censualistæ, ubi non est in usu *Piana* constitutio, est licitus de jure naturali. — 23. Sic etiam de jure nature est licitus *Census* personalis, dummodo persona, in qua *Census* constituitur, sit fructifera. — 24. De jure autem canonico, tam *Census* perpetuus, et irredimibilis ex utraque parte, sicuti et redimibilis pariter ex utraque parte, quam *Census* personalis est illicitus et prohibitus. — 25. *Census* creati ad formam bullæ *Pianæ*, spectantes ad Ecclesias et loca pia, reduci non possunt ad minorem fructum sine beneplacito apostolico. — 26. *Census* perpetui creati ad formam bullæ *Pianæ*, connumerantur inter bona immobilia. — 27. *Regulares* nequeunt censuario nomine recipere pecuniam sine beneplacito apostolico. — 28. *Censuum* et cambiorum fructus a communitatibus ditionis ecclesiasticæ conventi ad

ARTICULUS I.

Quoad ea quæ concernunt esse et conditiones *Census*.

(1. Hoc nomen *Census* varie accipitur. Primo accipitur *Census*, prout dicit descriptionem, et æstimationem honorum singularium civium, ut juxta singulorum quantitatem proportionaliter dividantur tributa. In hoc sensu accipitur *Census Matthæi* 22. ibi: *Licet Census dare Cæsari, an non?* Et sic etiam sumitur ab Ulpiano in l. *Vitia*; et in l. *Forum*, ff. de *Censibus*. Secundo, interdum sumitur *Census* pro ipsius bonis, seu fortunis, quæ censentur, juxta illud Poetæ: *Dat Census honores, Census amicitias*. Tertio accipitur *Census* pro descriptione Civium, vel ad distinguendos diversos status in ordine ad distributionem munerum, seu pacis, seu belli juxta singulorum habilitatem, ut notat Budæus in l. *ultima* ff. de *Senat*. Vel ad imponenda onera, in quo sensu accipitur *Luca* 2. ibi: *Exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis*. Quarto, sumitur pro omni eo, quod alteri solvitur in singulum subjectionis, et imperii, et in hoc sensu accipitur in cap. *Quæsitum* 4. caus. 1. quest. 3. ibi: *Salvo utique Episcoporum Censu annuo, quem ab eisdem Altaribus habere soliti sunt*. (2. Quinto, prout ad nostrum propositum spectat proprie accipiendo *Census*, *Census* est jus percipiendi pensionem annuam ex re alterius utili, et fructifera, supra qua fundatur. (3. Dicitur *Jus percipiendi pensionem annuam*, per quæ verba indicatur, *Census* non esse rem ipsam, quæ *Censui* subjicitur, nec ipsam pensionem, quæ solvitur, sed potestatem, seu *Jus exigendi* talem pensionem ex re ipsa, super qua fundatus est *Census*. Et ideo cum quis per Contractum vendit *Censum*, non dicitur vendere pecuniam, aut fructus annuos, sed *Jus quoddam*, ratione cujus emptor *Census* potest annuatim exigere certam pecuniam, aut fructus ex re alterius. (4. Dicitur *ex re alterius utili, etc.* Per quæ verba indicatur, *Censum* differre ab *Emphyteusi*, et *Feudo*, quia in *Emphyteusi*, et *Feudo* *Dominium* directum manet penes Dominum. Utile vero transit in *Emphyteutam*, vel *Vassallum*; secus autem fit in *Censu*, nam *Censuista*, vel *Cen-*

sualista rationem reuocantur. — 29. *Census* realis licitus est, et immunis ab usura. — 30-52. De *Censu* personali. — 53. De *Censu* reservativo et consignativo. *Remissive*.

ARTICULUS II. — Quoad extinctionem Censuræ.

1. A quibusnam possit *Census* extinguere. — 2. *Census* a tertio dupliciter extinguitur. — 3. *Creditor* censualis quando dicatur dimissus per modum absolutæ extinctionis. — 4. *Pactum* subingressus in simplici sessione qualitatem fructiferam *Census* non inducit. — 5. Item dicendum de clausula: *translativamente non estintivamente*. — 6. Extinguitur *Census*, si *creditor* *Census* irrevocabiler censiti fundi dominium acquirat, adeo ut a qualibet cesset productione fructuum. — 7. Nec loco damnorum, et interesse hujusmodi fructus percipi, et percepti retineri possunt. — 8. Quoad alia. *Remissive*.

sualista nullum habet dominium in re *Censuali* (quæ proinde simpliciter est alterius), sed habet *Jus duntaxat percipiendi* ex ea quamdam certam pensionem in contractu conventam. (5. Hinc advertit, quod *Venditor Censuræ* se obligando ad solvendam annuatim certam pensionem ex ea, dicitur *Censuarium*. Qui vero pretium dedit, sicutque *Censum*, seu *Jus percipiendi pensionem annuam* ex re alterius emit, vocatur *Censuista*, seu *Censualista*. Salas tract. de *Censibus* dub. 1. n. 7. qui dicit hanc esse magis communem appellationem. Licet alii appellent *Creditorum* ipsum *Censuarium*, et *Censualistam*, et alii utroque nomine, utrumque appellari posse dicant.

(6. *Census* dividitur in *Reservativum*, et *Consignativum*. *Reservativum* est, quo quis transfert rem suam in alterum, quoad dominium directum, et utile, servata sibi pensione annua super eadem re, ut cum quis dat alteri suam domum, vel prædium reservando sibi certam pensionem annuatim ex domo illa, vel prædio sibi præstandam, et de hoc *Censu* fit sermo lege ult. C. de rerum permut. ibi: *Ea lege rebus donatis Candido, ut quod placuerat, annuum sibi præstaret*. Uti Josephus Egyptiis dedit terras titulo permutationis cum tritico subjectas *Dominio Pharaonis* sub annuo *Censu* præstando; Gen. c. 47. v. 24. et de hoc *Censu* non loquuntur Pontifices in suis Constitutionibus, neque in eo procedunt conditiones ibi requisitæ. (7. *Census* consignativus, de quo in præsententi est sermo, et Pontifices loquuntur: *Est quo quis alteri consignat, seu vendit Jus percipiendi annuam pensionem super rebus suis fructiferis, vel super persona sua, manente integro Dominio tam directo, quam utili ad venditorem*. Et hic *Census* *Consignativus* est veluti species quædam emptionis, ac venditionis, unde et in *Jure Canonico* in *Extravagant*. Martini V. et Calixti III. quarum quælibet incip. *Regimini*, de eo agitur sub titulo de *Emptione, et Venditione*. (8. *Census* *Consignativus* dividitur in *Realem*, *Personalem*, et *Mixtum*. *Realis* est, qui constituitur seu fundatur super re aliqua fructifera, cui adheret, et qua pereunte, *Census* perit. *Personalis* est, qui fundatur super certa persona obligante se ad annuam pen-